

verunt, statim ac potuerunt eam manifestarunt inferioribus, quod non videtur fuisse in primo instanti, quia prius debebant supponi creati Angeli, quam quod aliis loquerentur vel illuminarent. In cuius signum dicitur Ezech. xxxi de primo Angelo in figura regis Assur: *Flumina manabant in circuitu ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis*. Ligna autem illa dicuntur ibi ligna voluptatis quæ erant in paradiso Dei, id est, Angeli, ad quos ille supremus Angelus emisit rivos suos, id est, scientiæ suæ copiam, et communicationem eminentiæ suæ. An vero modo etiam id continuetur sicut a principio dicendum est, quod dæmones non illuminant de hoc Angelos beatos etiam inferioris naturæ; tum quia perfectius id jam cognoscunt in Verbo; tum quia retinere, et conservare possunt in memoria illam illuminationem, quam semel ab initio acceperunt, licet modo amplius non illuminentur a dæmonibus quia: *Perdiderunt suum principatum*, ut dicitur in canonica Judæ: ergo, et actiones principatus, quales sunt actiones hierarchicæ, ut illuminare, et purgare, etc. Unde nec bonos nec malos Angelos amplius illuminant loquendo de propria illuminatione quæ dirigitur in Deum, ut docet S. Thomas infra q. cvi.

XII. Hæc etiam sententia sumitur ex S. Dionysio, qui in his quæ de Angelis traduntur præfertur aliis, quia ut dicit S. Thomas in II, dist. x, qu. 1, art. II: « Discipulus Pauli fuit et dicitur ejus visiones scripsisse; » et sic in eodem secundo ad Annibaldum, dist. IX, art. 1 ad v modum assignandi ordines in Angelis, quem Dionysius tradit, veriore dicit: « Quia Dionysius, inquit, ab Apostolo immediate accepit. » S. ergo Dionysius in capite XI cœlestis hierarchiæ in fine, sic inquit: « Ut a

nobis sæpe recte dictum est, summæ spirituum descriptiones abunde etiam inferiorum sanctas proprietates habent, ultimæ autem summæ superiorum proprietates in totum non habent, cum vicissim in eas primarum opera illustrationes quæ primum extiterunt pro earum captu infundantur. » Ita habet Dionysius secundum translationem Perionii, quæ omnino auctoritatem habet. Ex ejus autem verbis deducitur quod inferiores Angeli, non plene comprehendunt superiores ex vi sua: « Quia non in totum eorum proprietates habent. » Habere autem earum proprietates media aliqua participatione superiorum debet esse, et hæc mediante cognitione, hæc enim est intelligibilis participatio. Si ergo non in totum eas habent, non in totum intelligunt; et sic indigent eorum illustratione pro eorum captu, quæ illis datæ sunt quam primum extiterunt. Et non loquitur Dionysius de illustratione superiorum Angelorum, solum quoad supernaturales veritates, sed etiam quoad naturalia, id est, quoad superiorum proprietates, quæ utique naturales sunt. Nec potest dici quod sensus Dionysii est inferiores non habere superiorum proprietates entitative, non tamen negat habere eas intelligibiliter, et comprehensivè. Contra enim est, quia probat Dionysius non habere in totum proprietates superiorum, quia illustrationes pro eorum captu a superioribus eis infunduntur: ergo loquitur de habere mediantibus illustrationibus: ergo mediante cognitione, et non solum entitative.

XIII. Fundamentum hujus sumitur ex duobus.

Primum est a priori.

Secundum ab inconvenienti.

Primum deducitur ex eo quod intellectus Angeli inferioris non

habet substantiam, et naturam adæquatam in perfectione, et actualitate Angelo superiori: ergo neque in virtute, et efficacia intelligendi: ergo neque in ipsa cognitione; et sic ex propriis operando non potest ipsum comprehendere, quia non potest adæquare; et comprehendere, adæquare est, sicut neque oculus infirmus, et debilis potest perfectissimum visibile ut perfectissimam lucem adæquare, et plene exhaustire. Totus discursus legitimus est, et propositiones ejus negari non possunt, si quidem constat substantiam Angeli inferioris esse inæqualem cum superiori in perfectione, cum sint diversæ speciei, et aliqui etiam sint diversi in ordine, aut hierarchia, quod tamen non facit majorem diversitatem, quam in specie, quia omnes Angeli ejusdem generis sunt, licet intra hoc genus, quædam species magis distent ab aliis, quam aliæ. Igitur si diversæ speciei sunt, et inæquales: ergo inferior non adæquat superiorem, licet superior non solum adæquet, sed excedat illam. Quod si dantur aliqui Angeli ejusdem speciei, ut multi sentiunt, contra D. Thomam de illis non procedit difficultas, quia solum est quæstio de Angelis inferioribus respectu superiorum, non de æqualibus. Reliquæ vero propositiones ex ista robur accipiunt, quia virtus Angeli intellectiva, et actus cognoscendi ejus sequuntur ad hanc radicem propriæ naturæ, et juxta ejus modum sic est modus intelligendi, quia natura dicit intellectualitatem radicalem, radicali autem intellectualitati debet conformari actualis seu formalis.

XIV. Et confirmatur atque urgetur hæc ratio ex simili consequentia, quam format sanctus doctor in quæstione XVI de malo, art. VIII comparans species intellectus inferioris ad species intellectus superioris, et

consequentia est hujusmodi: « In unoquoque intellectu species intelligibiles superioris intellectus sunt universaliores; et ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectus; et ideo inferior intellectus non potest eas perfecto cognoscere. » Ubi sanctus doctor tradit generalem doctrinam de quocumque intellectu, non autem solum de intellectu humano, nec de solis speciebus intellectus humani collatis cum speciebus Angelorum, ut aliqui dicunt, non vero de speciebus angelicis superioris, et inferioris Angeli collatis inter se. Nam licet D. Thomas applicet postea istam doctrinam ad probandum quod Angeli boni vel mali possunt cognoscere species in anima nostra existentes, tamen ad hoc affert doctrinam generalem de quocumque intellectu, et de quibuscumque speciebus superioris intellectus respectu inferioris: ergo sine fundamento aliquo id restringitur ad solum intellectum humanum respectu angelici: imo nihil probaret D. Thomas, quia si intendit probare quod intellectus angelicus, quia superior est, comprehendit species intellectus humani, et ad hoc affert probationem, quod species superioris intellectus sunt universaliores; et ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferiores, bene autem potest intellectus superior comprehendere species inferioris, intelligendo per superiorem angelicum, et per inferiorem humanum; sensus esset, quod quia species intellectus angelici comprehendunt species humani, ideo intellectus Angeli comprehendit species humani; quod esset probare idem per idem. Ex hac ergo doctrina D. Thomæ fit argumentum. D. Thomas ponit illam causalem, ideo non possunt per species intelligibiles inferioris intellectus comprehendi spe-

cies superioris intellectus, quia universaliores sunt : ergo etiam intellectus Angeli inferioris non comprehendet intellectum superioris, quia universalior est. Nam eadem proportio, quæ est inter species superioris et inferioris, est inter intellectum superioris et inferioris, præsertim quia inferior Angelus non potest intelligere superiorem, nisi per species sibi infusas : ergo si iste secundum D. Thomam non comprehendunt species superioris intellectus, neque etiam comprehendunt intellectum superioris Angeli. Et saltem hoc habemus ex D. Thoma, quod Angelus inferior non comprehendit omne ens naturale, quia species superioris Angeli naturalis ordinis sunt, et tamen eas non comprehendit Angelus inferior.

XV. Respondent oppositi auctores essentiam Angeli superioris, et ejus intellectualitatem, et intelligibilitatem entitative sumptam, seu materialiter esse excedentem, et inadæquatam Angelo inferiori, non tamen formaliter, et in linea intelligibili : intelligibilitas enim formalis consequitur ad radicalem, seu entitativam. Bene autem stat quod aliquid sit superius, et inæquale alteri in ipsa intelligibilitate entitativa, seu radicali, et materialiter sumpta, æquare autem in intelligibilitate formali, seu in linea intelligibili pura, et formaliter sumpta, sed possunt plures res intelligibiles in esse rei inæquales convenire in eadem intelligibilitate formali, et consequenter inferior intellectus comprehendere superiorem, quia ad hoc sufficit quod adæquetur ipsi in linea intelligibili, licet non in esse entitativo. Et similiter dicunt species inferioris Angeli non comprehendere species superioris, quia species non sunt ens naturale sub ordine, et linea entitativa, sed sub ordine, et linea intelligibili. Et

quando dicit D. Thomas quod Angelus inferior comprehendit totum ens naturale intelligitur de ente naturali ut distincto ab ordine intelligibili, et prout est solum in linea entitativa. Nec oportet ad comprehensionem Angeli superioris comprehendere species illi infusas, quia non sunt accidentia, seu proprietates ab ejus essentia fluentes, sed quæ veniunt ab extra, et per infusionem Dei. Unde sufficit ad comprehensionem superioris Angeli comprehendere intellectum ejus nude, et in se, non autem species ejus.

XVI. Cæterum ista responsio intelligibilis videtur, et complicatoria. Nam intelligibilitas formalis omnino sequitur ad radicalem, et entitativam illique proportionatur. Neque enim potest esse immaterialitas, seu spiritualitas in esse rei excedens, et inæqualis alteri, et ejus intelligibilitas formalis æqualis cum intelligibilitate sui inferioris, quia intelligibilitas ista formalis se habet ut proprietas quædam consecuta ad radicalem, et ipsa entitas intellectiva radicalis petit habere aliquam intelligibilitatem sibi propriam, et adæquatam, quam non habeat altera species seu entitas intellectiva, quia unicuique rei convenit sua intelligibilitas passiva propria, sicut convenit sua intelligibilitas activa, seu intellectualitas (quæ est ipsemet intellectus) si substantia intellectiva sit. Ergo non stat, quod intelligibilitas passiva formalis propria, et per se correspondens intelligibilitati radicali sit ejusdem rationis, et æqualitatis cum intelligibilitate formali alterius rei, si intelligibilitates radicales, seu entitative acceptæ sint inæquales in esse entis. Imo cum id quod intelligitur in objecto non sit intelligibilitas formalis tantum, sed entitas ipsius, quia hæc præcipue intenditur cognosci; si hæc inadæquata, et

inæqualis est cognitioni rei inferioris, non manet comprehensa ab illa, quantumcumque dicatur inferior cognitio adæquari intelligibilitati illi rei superioris. Nam illa intelligibilitas formalis vel manifestat totam entitatem rei superioris, eamque adæquat tamquam propria illius vel non. Si non adæquat : ergo neque est propria intelligibilitas rei superioris, neque sufficit ad comprehensionem illius, quia illa est propria intelligibilitas alicujus rei, quæ totam eam reddit intelligibilem, et manifestam, quia si aliquid illius relinquit non manifestatum, nec intelligibile, respectu illius diminuta est : et ideo adhuc majorem intelligibilitatem res illa exigit ; et sic illa non erit propria ejus, nec comprehensiva, quia non adæquata illi. Si autem illa intelligibilitas adæquat, et manifestat totam rem illam superiorem, eamque reddit intelligibilem : ergo non potest esse æqualis, et adæquata formali intelligibilitati, et intellectualitati rei inferioris, quia Angelus inferior per propriam intelligibilitatem suam formalem etiam comprehensive cognitam non potest adæquare totam entitatem rei superioris, eamque manifestare, et intelligibilem reddere : ergo neque per species sibi proportionatas et proprias, quia istæ adæquantur, et proportionantur intelligibilitati formali Angeli inferioris, cui infunduntur.

XVII. Quod vero dicitur de speciebus quod non comprehenduntur ab inferioribus, quia non sunt ens naturale, sed intelligibile, omnino complicatorium videtur, et repugnans dictis istorum auctorum. Nam in sententia istorum octorum, quando dicit S. Thomas quod ens naturale est objectum intellectus Angeli, ab eoque comprehenditur, nomine entis naturalis non solum intelligit ens naturale materia-

le, et de se non intelligibile in actu, sed etiam immateriale, et intelligibile, si quidem in sensu horum auctorum substantias spirituales, et immateriales etiam superiores comprehendit Angelus, etiam inferior. Si ergo nomine totius entis naturalis intelligit D. Thomas etiam ens intelligibile, seu immateriale, etiam species deservientes huic intellectuali naturæ pertinebunt ad ordinem entis naturalis, et ad objectum comprehensionis Angeli, tamquam aliquid illius, licet deserviant ad lineam intelligibilitatis potius quam ad lineam entitatis : hoc enim non obstante Angelus superior ex vi sua qua comprehendit inferiorem, etiam ejus species cognoscit, et comprehendit, ut D. Thomas citato loco fatetur, si quidem ejus intelligibilitatem, et non solum entitatem comprehendit : linea enim intelligibilis, et quidquid ad illam lineam pertinet, cum sit aliquid ipsius entitatis, ad ejus comprehensionem pertinet : ergo signum est species etiam pertinere ad objectum comprehensionis Angeli. Respectu vero Angeli superioris dicunt istimet auctores quod essentia Angeli in esse entitativo, et in intelligibilitate radicali, seu materialiter sumpta, est inadæquata, et superior intelligibilitati entitative Angeli inferioris ; est tamen illi æqualis, et ejusdem rationis intelligibilitas formalis superioris Angeli cum intelligibilitate inferioris, et ob hoc comprehendere potest ab illo ; sed species per se pertinent ad ordinem intelligibilem formalem ut distinguitur ab entitativo ; ideoque non comprehenduntur ab Angelo, quia, ut dicis, solum ens naturale ut distinguitur ab entitativo sanctus doctor ponit pro objecto comprehensivo Angeli : ergo timet contradicis, dum ponis modo quod species non comprehenduntur, quia non pertinent ad ordinem entitati-

vum, et ante dicis quod intelligibilitas Angeli superioris entitative est inadæquata Angelo inferiori; intelligibilitas autem formalis adæquata est: ergo ex hac parte potius species deberent comprehendi, quam essentia Angeli, quia pertinent species ad lineam formalis intelligibilitatis, et illa est adæquata inferiori.

XVIII. Dicere autem quod licet hoc verum sit, tamen deficit una conditio, ne possint comprehendi species superiores ab inferiori Angelo, quæ non deest ut possit comprehendi essentia, nempe quia species illæ, utpote universales, non possunt unico, et simplici actu perfecte cognosci ab inferioribus, bene tamen essentia; hoc est plane voluntaria petitio principii. Nam si essentia entitative sumpta, ipsaque intelligibilitas in esse rei considerata est superior et inadæquata inferiori, et universalior quam illa, ipseque intellectus superioris Angeli universalior etiam est, intelligibilitas vero formalis est adæquata, et species pertinent ad intelligibilitatem formalem, cur species licet universales non unico simplici actu ab inferioribus attingentur, bene tamen essentia, et intellectus superior qui etiam universalior est? De hoc enim debet reddi ratio, non vero solum id responderi, ut effugiatur vis rationis, quæ cogit dicere quod species universales non possunt unica specie, et cognitione Angeli inferioris attingi, cum eadem cogat, et convincat quod essentia ipsa, et intelligibilitas in esse rei, quæ universalior est radicaliter, non attingatur unico actu, et specie, quia magis inadæquata est intellectui inferiori entitative.

XIX. Denique, quod attinet ad species ipsas universales quod debeant comprehendi, si comprehenditur intellectus eas exigens, negari non potest, quia non potest

comprehendi virtus intellectus, et capacitas ejus, nisi comprehendatur objectum formale in quod potest: inde enim pendet universalitas ejus, et modum seu eminentiam, et immaterialitatem qua in illud potest: inde enim pendet specificatio ejus; sicut non potest comprehendi potentia, et virtus oculi, nisi cognoscatur objectum ejus in quod potest, scilicet lux et color, et modus quo potest, scilicet quod sit talis perfectionis in videndo, scilicet acutioris visus, vel minus acuti, etc. Sed comprehenso objecto, et modo, quo virtus intellectus potest in suum objectum, comprehendi debent species quarum est capax, et modus earum, scilicet quod sint tantæ, vel tantæ universalitatis, quia species non sunt aliud quam ipsum objectum in esse intelligibili, et modus specierum in universalitate, et immaterialitate proportionatur objecto formali in ratione intelligibilitatis: ergo repugnat comprehendere intellectum Angeli superioris, et objectum ejus formale, et utriusque eminentiam, et non species, quarum est capax, sive videantur ut infusæ de facto ipsi Angelo, sive non: sufficit enim quod cognoscat illas ut possibles, et debitas ipsi Angelo, earumque universalitatem comprehendat. Quare dato quod non pertineat ad comprehensionem Angeli superioris videre quod de facto ipsi conveniant accidentia, quæ ab extrinseco adveniunt, tamen si dicit inclinationem, et proportionem ad illa, debet cognoscere eorum propriam rationem, saltem quatenus debita illi, et possible illi, quia hæc proportio, et capacitas intrinseca est intellectui. Comprehendet ergo inferior Angelus superiores species, saltem in esse possibili, et ut debitas superiori intellectui, quidquid sit an cognoscat si de facto sint infusæ, vel non: hoc enim non requiritur, et sufficit

nobis sic illas comprehendere in esse possibili. Deinde falsum est quod ad comprehensionem alicujus rei non requiratur quod cognoscatur etiam accidentia sibi debita, et ab extrinseco advenientia, licet non fluant ab intrinseco tamquam proprietates. Nam si comprehendatur cælum, etiam motus ejus debet cognosci, licet ab extrinseco motore veniat, quia pertinet ad ejus perfectionem in quantum est causa generationis istorum inferiorum per motum Angeli. Et qui comprehenderet potentiam materiæ, etiam deberet cognoscere animam rationalem ad quam est in potentia, licet illa per creationem sibi infundatur ab extra. Et qui comprehenderet potentiam obedientialem, etiam formas supernaturales deberet cognoscere, licet non fluant ab illa, sed ab agente supernaturali fiant in illa. Requiritur ergo ad comprehensionem alicujus rei cognoscere omnia accidentia, quæ sunt ei debita, et cum quibus habet proportionem, etiamsi non profluant ab essentia, sed ab extrinseco veniant.

XX. Ultimo ab inconvenienti deducitur nostra sententia: nam in primis non potest Angelus inferior comprehendere species intelligibiles superioris Angeli, ut ostendimus, neque hoc inconveniens ab oppositis auctoribus evitatur. Tum quia id expresse affirmat D. Thomas in quæstione XVI de modo supra citato; tum quia, ut ponderatum est, comprehensio alicujus rei debet esse cognitio adæquata non solum suæ quidditatis, sed etiam omnium perfectionum, quæ sibi debentur, vel ad quas dicit ordinem, et respectum: ergo ad comprehendendum intellectum Angeli superioris requiritur quod etiam comprehendat species ejus, quæ ejusdem sunt cum illo perfectionis, et universalitatis.

XXI. Alterum inconveniens est, quia sequitur ex opposita sententia, quod si Angelus inferior comprehendat superiorem virtute sua etiam ex comprehensione illius tamquam ex effectu perfectiori cognoscat Deum tantum quantum ipse Angelus superior cognoscit de Deo ex cognitione sui. Unde omnes Angeli æque perfecte cognoscent Deum naturali cognitione, quia comprehendunt omnes quantumcumque sint superiores, et consequenter æque perfecte attingunt Deum, ut repræsentabilis est ex talibus effectibus. Et licet semper remaneant superiores in esse entis respectu inferiorum, tamen si in esse intelligibili eos adæquant, et comprehendunt, id quod sufficit ad comprehensionem eorum, sufficit ad æqualem cognitionem Dei, quia hæc fundatur in cognitione comprehensiva effectus repræsentantis Deum; et sic tam beatus, et felix erit beatitudine naturali inferior Angelus quam superior, quia hæc consistit in cognitione naturali Dei, et tantum comprehendit, seu cognoscit de Deo propria, et naturali virtute Angelus inferior quam superior, cum tamen negari non possit quod felicior sit Angelus superior, quia perfectior in ordine naturali. Imo supposita lege Dei, quod dona gratuita infunduntur, Angelus juxta capacitatem naturalium, si naturalis virtus Angeli inferioris petit comprehendere superiorem, etiam secundum ordinem gratiæ, petet comprehendere gratiam superioris, et consequenter non indigebit illuminatione superioris ad hoc ut cognoscat inferior ea quæ superiori revelantur, et infunduntur secundum ordinem gratiæ, ac proinde cessabit omnis ratio, et fundamentum ponendi illuminationem in Angelis, quia scilicet veritatem quam superior cognoscit inferiori manifestat, supponendo quod inferior